

stricte, ac proprie loquendo, lex est populi, constitutiones sunt principum, can. 1 et 4, dist. 2, juncta Glossa ibid., et alia Glossa I. un. § *Decisiones*, c. *de Emendat. Codicis*, quamvis et hi termini non raro inter se confundantur. Quinimo, cum imperator omne suum imperium, et potestatem immediate a populo acceperit, sicque quoad jus condendi novas leges eidem successerit: sicut olim, quæ statuebantur a toto populo, leges appellabantur, sic de facto, præsertim magis stricte loquendo, jura, sive constitutiones principum sæcularium, communius *Leges* nuncupantur, juxta illud jam allegatum; « Quod principi placuit, legis habet vigorem. »

178. *Magistratum edicta idem sunt ac prætorum edicta. Prætorum origo, et auctoritas. Jus honorarium, quod?* — Magistratum edicta idem sunt ac edicta prætorum. Nam, cum patres (ut scribit Livius, lib. V *Historiarum*) rebus, et diuturnis certaminibus victi, alterum consulem e plebe creari permisissent: vicissim patribus concessum fuit ut unusquisque ex ipsis magistratus crearetur, qui a præessendo diceretur prætor. Et hujus quidem tanta erat potestas, ut novum jus condere, ac vetera jura abrogare solus valeret, crevitque postmodum adeo ejus auctoritas et honor ut quod prætor ipse dixisset *Jus honorarium* appellari consueverit, § *Prætorum*, instit. *de Jure nat. gent. et civil.* Et dicebatur *Honorarium*, quod ad honorem prætoris venerat; prout notatur in l. II, § *Eodem tempore*, ff. *de Origine juris*, atque amplius declarat Mynsinger, § *Prætorum quoque*, n. 2, et seqq. instit. *de Jure nat. gent. et civil.* subjungens quod, crescente Romano imperio, amplificatus sit numerus prætorum, et quod unusquisque non sufficeret.

179. *Responsa prudentum, quæ?* — Tandem Responsa prudentum sunt sententiæ et opiniones eorum, quibus permissum fuerat interrogantibus circa jus respondere. Porro ejusmodi prudentes, quibus olim jus respondendi super aliquo juris articulo a Cæsare concessum fuerat, appellabantur *Juris consulti*: quorum omnium sententiæ eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere ab ipsorum responsis non liceret. § *Responsa*, inst. eod. Ubi tamen observat Mynsinger, n. 8 et 9, quod *Ubi omnium* debeat accipi conjunctim, seu collective: nam si non omnes juris consulti eamdem sententiam consensissent, sed aliqui dissensissent, haud fuisset illicitum ea recedere.

§ X.

DE CONVENIENTIIS ET DIFFERENTIIS JURIS CIVILIS CUM CANONICO.

180. *Convenientiæ et differentiæ juris utriusque desumuntur ex omnibus quatuor causarum generibus.* — Quæritur I. In quibus generatim conveniat, et differat jus civile a canonico? Resp. cum communi, convenientias et differentias juris civilis cum canonico esse multiplices, easque generatim ex omnibus quatuor causarum generibus desumi posse, prout clare patebit inductione. Et quidem imprimis.

181. *Convenientia utriusque juris quoad causam finalem declaratur.* — Quantum ad causam finalem conveniunt, quia utrumque jus intendit hominem dirigere in bonum commune: canonicum quidem in bonum commune; ecclesiasticum, seu concernens statum universalis Ecclesiæ, ejusque rectam gubernationem; civile vero in bonum commune politicum, atque respiciens commoda, rectamque gubernationem totius reipublicæ civilis. Insuper conveniunt ex eo: quia utriusque « juris præcepta sunt hæc: honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere; » prout notatur in § *Juris præcepta*, instit. *de Just. et jur.*, juncto proœmio *Decretalium* Gregorii Papæ IX.

182. *Simul et differentiæ; et num. seqq.* — Differunt tamen ex parte causæ finalis ambo jura plurimum inter se. Primo quidem quoad modum inducendi in bonum commune. Nam jus civile intendit hominem inducere in bonum commune, prout congruit humanæ societati, civiliter, et temporaliter viventi: quod fieri potest per legalem justitiam, et civilem amicitiam. At vero jus canonicum intendit hominem dirigere in bonum commune, secundum quod congruit humanæ societati, non solum civiliter, sed et christiane viventi, ac tendenti ad ultimum finem suum, quod fieri non potest nisi per veram justitiam christianam, atque observantiam mandatorum Dei, et Ecclesiæ, fidemque (ut loquitur Apostolus *ad Galat.* v, 6.) *que per charitatem operatur.*

183. *Juris canonici et civilis finis primarius, ac ultimus, qualis?* — Differunt ulterius: quia juris canonici finis primarius, et principaliter intentus, est cultus divinus, atque observantia justitiæ christianæ in populo fideli: remotus vero, ac mediatius qui sequitur ex primario, simulque

§ X. DE CONVENIENTIIS ET DIFFERENTIIS JURIS CIVILIS CUM CANONICO. 41

ultimatus, vita æterna, sive consecutio cælestis beatitudinis, quam adipiscuntur fideles rite jus istud observantes: ac tandem finis minus principalis, bonum commune populi christiani, quod ex recta observantia mandatorum Dei, et sacrorum canonum, toti communitati obvenit, dum tribuitur cuilibet quod suum est, et justitia, cæteræque virtutes undique florescunt, ac publica pax et tranquillitas conservatur. Econtra jus civile respicit finem mere temporalem, videlicet politicam reipublicæ gubernationem, civiumque pacificam inter se societatem, et quidem principaliter, neque ulterius, quantum ex se est, procedit: prout notavit Pontifex in c. *Exit.* § *Nec quisquam*, *de Verb. significat.* in 6. ubi ait, « quod civilis providentia in humanis rebus humane constituitur, etc. temporalem utilitatem tantum in constituendo prospiciens. » Hoc ipsum ingenue fatetur ipsemet Justinianus imperator, l. I. § 1 et 2. C. *De novo Codic. faciend.* dum ex illo fine temporali, videlicet « prolixitatem litium amputare volens, et ad ipsius reipublicæ sustentationem respiciens, » novum *Codicem* faciendum censuit. Accedit quod primi legum civilium conditores, videlicet populus Romanus, et imperatores etiamnum gentiles, veræque fidei lumine destituti, alium finem supernaturalem, atque æternam beatitudinem non agnoverint, neque respexerint.

184. *Jus civile docet honeste vivere, justitiam colere, etc., in quo sensu? Et n. 185.* — Nec obstat quod jus civile doceat honeste vivere, justitiam colere, neminemque lædere, § *Juris præcepta*, instit. *de Just. et jur.* et alibi; simulque « *Jurisprudencia* sit divinarum et humanarum rerum notitia, justitiam atque injusti scientia, » ut dicitur § *Jurisprudencia*, instit. eod.; atque etiam in ipso Corpore juris civilis, prout a Justiniano imperatore christiano in meliorem et compendiosorem formam redactum est, plura habeantur de summa Trinitate et fide catholica, et de SS. ecclesiis, episcopis et clericis, item et de hæreticis, eorumque pœnis ac hujusmodi: sicque non videatur habere finem mere temporalem. Resp. enim hinc solum sequi quod operam daturus juri civili, sive addiscendo, sive pertractando, possit huic suo labori finem supernaturalem ex propria pia intentione præfigere (qualis dicitur *Finis operantis*) utpote cum hac ratione quilibet alius actus cæteroquin indifferens, sive de se non

malus, ex propria operantis intentione possit in Deum, veluti ultimum finem nostrum, referri. Negatur tamen hunc finem ex se jam intendi ab ipsomet jure civili; cum, per se loquendo, ordinetur solum ad conservandum bonum commune reipublicæ, ipsosque hominum mores informandos, secundum quod expediens videbatur ad pacificam subditorum conversationem, statumque reipublicæ tranquillitatem manutenendum: hic enim illico perturbaretur, si vitii apertus daretur aditus, virtutes exularent, et crimina remaneret impunita. Deinde ex allatis rationibus solum sequitur, quod jus civile per accidens respiciat salutem spiritualem animarum, in quantum vitia cohibet, et honeste vivere docet: negatur tamen, ex conformiter dictis, hunc finem ab eodem per se et directe intendi.

185. *Potestas pontificalis et imperatoria sunt distinctæ, se tamen mutuo adjuvare debent.* — Igitur mens legum civilium, ipsorumque imperatorum, dum quandoque alia immiscet de religione, ipsisque ecclesiis, et clericis, alia non fuit, nisi curæ suæ, commissionique a Deo sibi factæ incumbere, procurandi videlicet temporalem suorum subditorum utilitatem, et communem reipublicæ pacem, quæ per scissuras hæresum, et sacrarum rerum profanationem, atque impunitatem vitiorum, vel maxime læditur, et conturbatur: ad altiora vero sese non extendit. Et hoc vel ex eo patet: quia alioquin jus civile, ipsique imperatores se extendissent ultra potestatem suam, quam a Deo acceperunt; nam Christus Dominus, actibus propriis et dignitatibus distinctis, discrevit officia potestatis pontificalis, et imperatoriæ, can. *Cum ad verum*, et can. *Duo sunt*, dist. 96 juncto c. *Solite*, *de Major. et obed.* cum similibus: ita tamen, quod utraque potestas sese mutuo juvare debeat, et quod sacerdotes efficere docendo non valent, disciplinæ terrore potestas sæcularis extorqueat, can. *Principes*, cum seqq. 23. q. 5. De reliquo autem principibus sæculi, ac regibus civilibus, vires non suppetunt ad tractandum spiritualia, et res ad æternam vitam spectantes, arg. can. *Bene quidem*, dist. 96, et c. *Ecclesia S. Mariæ*, *de Constitut.* cum concordantiis: sed talia spectant ad jurisdictionem ecclesiasticam, summumque Pontificem Christi in terris vicarium. Proinde citatæ leges de SS. ecclesiis, clericis, ac hujusmodi disponentes, aliter non obligant, nisi quatenus ab Ecclesia sunt receptæ, et appro-

bate, prout suo loco amplius dicitur. Ex quibus etiam patet, quomodo jurisprudentia sit rerum divinarum et humanarum notitia: nam ipsa est talis notitia, quatenus circa res tum divinas, tum humanas, docet administrari justitiam, arceri injurias, juvatque ad gubernandam rempublicam, semper tamen sistendo intra limites suae potestatis.

186. *Jus civile, quoad causam efficientem, quomodo conveniat cum canonico?* — Quantum ad causam efficientem attinet, convenit eundem jus civile cum canonico quoad causam principalem remotam, ac mediatam; utrumque enim jus primario procedit a Deo, tanquam a supremo legislatore, et per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per quem principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Proverb., VIII, 15, 16. *Non est enim potestas, nisi a Deo*; Rom. XIII, 1: qui proinde quod justum est decernit, et promulgat omnia jura humana, remote tamen ac mediate, videlicet medianibus Romanis pontificibus et imperatoribus, quibus ipse contulit potestatem legislativam; prout liquet ex can. *Quo jure*, dist. 8, ibi: «Quia ipsa jura humana per imperatores, et reges sæculi Deus distribuit generi humano.» Concordat textus can. ult. 10. q. 3, et can. *Imperatores*, 11, q. 3, et L. ult. C. de *Præscript. longi tempor.* juncta Glossa *7. Divina*, cum concordantiis per hanc allegatis, ubi notatur leges per ora principum divinitus, sive divino quodam motu, esse factas et promulgatas.

187. *Et quomodo differat?* — Cæterum ex parte causæ efficientis proximæ, seu immediatæ, differentia inter utrumque jus est maxima. Siquidem jus canonicum tum per sanctos Apostolos, tum per summos Pontifices, legitimos S. Petri successores, Christianique in terris vicarios, sive in conciliis generalibus, sive extra illa, constitutum, eorumque auctoritate in unum corpus redactum, et confirmatum fuit: idque potestate ecclesiastica extendente se in universum orbem christianum, et proxime ac immediate a Deo accepta; uti liquet ex *Matth.* XXI et *Joan.* XVI, ac fusius declaratur in c. *Solite*. 6. de *Majorit. et obed.* et c. *Novit*. 13. § *Cum enim, de Judicis*, ac Extravag. *Unam sanctam* § *In hac, de Majorit. et obed.* Econtra jus civile vel per populum Romanum, vel per suos imperatores, et quidem usque ad Constantinum Magnum, gentiles, sancitum atque constitutum fuit; idque potestate civili et humana

immediate proveniente a populo, qui per legem regiam omne imperium suum, et potestatem, in imperatorem contulit, l. I. ff. de *Constit. principum*, et § *Sed et quod*. Instit. de *Jure nat. gent. et civil.*; simulque non pro toto orbe terrarum, sed pro solis regnis, ac provinciis, Romano imperio subjectis; prout inter alia constat ex c. *Super specula*, 28, de *Privileg.* ibi: «Quia tamen in Francia, et nonnullis provinciis, laici Romanorum imperatorum legibus non utuntur.»

188. *Quoad causam materialem, quomodo conveniat jus civile cum canonico? Objectum materiale remotum, seu materia circa quam juris utriusque, quale?* — Quoad causam materialem jus civile convenit cum canonico in hoc quod utriusque juris objectum materiale remotum, sive materia circa quam, sint personæ, res, et actiones sive judicia. De his siquidem non tantum jus civile per totum tractat, arg. l. I. ff. de *Statu homin.* ibi: «Omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones,» sed etiam jus canonicum, utpote in primo, tertio, et quarto *Decretalium* præcipue tractans de personis, et rebus ecclesiasticis; in secundo autem, et quinto, de actionibus tum civilibus, tum criminalibus.

189. *Et quomodo differat?* — Differt autem secundum causam materialem jus civile a canonico, quod istud præcipue versetur circa personas, resque sacras, et ecclesiasticas, ut puta circa episcopos, clericos tum sæculares, tum regulares, ecclesias, et ecclesiastica beneficia, nec non sacramenta novæ legis, et alia hujusmodi, ad rectam Ecclesiæ gubernationem, salutem animarum, et spiritualem fidelium profectum pertinentia, una cum annexis causis judiciariis, et actionibus huc spectantibus; et, si quandoque nonnulla profana immisceat, v. g. agendo de contractibus et testamentis, hæc ipsa præcipue in ordine ad memoratas personas, vel res sacras contemplatur, cavendo simul vel maxime, ne ulla in talibus peccati labes irrepatur, v. g. ne res Ecclesiæ illicite alienentur, ne in contractibus, vel in testamentis, aut horum executione, iniquitas committatur, etc. Econtra jus civile versatur circa personas, res et actiones mere profanas et civiles, ac prout hæc constituunt ipsam rempublicam politicam, atque tranquillam ejus gubernationem, et pacificam dumtaxat civium inter se conversationem respiciunt.

190. *Objectum materiale proximum, sive ob-*

jectum attributionis utriusque juris, quale? — Additur notanter «Objectum materiale remotum, sive materia circa quam,» etc. Nam loquendo de objecto materiali proximo, quod una cum formali constituit unum objectum adæquatam attributionis utriusque juris, sic illud est homo dirigibilis secundum boni et æqui rationem, ipsiusque juris præscriptum: ad hoc enim, ut homo tali ratione recte dirigatur, tractat utrumque jus, et de personis, et de rebus, et de actionibus: et in hoc proinde convenit utrumque jus. Differt tamen jus civile a canonico taliter, secundum rationem formalem considerando hominem: nam jus civile considerat hominem ut dirigibilem in bonum commune reipublicæ politicæ, et ad pacificam civium inter se societatem; neque ultra progreditur: canonicum vero respicit hominem ut dirigibilem principaliter in Deum, atque consequendam ultimam vitam æternam; et minus principaliter, ut dirigibilem in bonum commune status ecclesiastici, populi que christiani, juxta Glossam in reg. 2. Juris, in 6. §. *Pro expeditione*, estque dictum supra num. 43. et num. 183, et seqq. (ADNOTATIO V).

191. *Convenientia, et differentia utriusque juris quoad causam suam formalem.* — Et per hoc ultimum patet etiam convenientia, et differentia juris utriusque quoad causam suam formalem. Illa enim habetur ex eo quod unumquodque eorum dirigat hominem in bonum commune, atque sub hac ratione tractet et de personis et de rebus, et de actionibus; ista vero, nimirum differentia ipsorum, desumitur ex diversa dirigibilitate hominis, ejusque directione jam explicata. Patet insuper, magisque clarescit excellentia juris canonici præ civili: ea siquidem non ex solo fine (de quo supra, n. 42, et n. 182, et 183, jam dictum), sed ab omnibus quatuor causarum generibus recte desumitur, ponderando differentias utriusque juxta quatuor genera causarum proxime declaratas.

192. *Plurimæ differentie, seu contrarietates juris civilis a canonico, in casibus specialibus referuntur, sed remissive.* — Queritur II. In quibus casibus, sive materiis in specie, jus civile differat a canonico? Resp. Ejusmodi casus sunt plures, adeo ut Galvaccus Bononiensis, tom. I *Tractatum*, tract. *De Differentiis legum et canonum*, nonaginta octo, et post ipsum Prosdocimus de Comitibus ultra centum et sexaginta tales differentias, seu contrarietates, inter jus utrumque adducat. Quinimo

Baptista a S. Blasio. eod. tom. I, tract. *Contradictionum juris canonici cum jure civili*, duas centurias hujusmodi differentiarum, seu contrarietatum inter jus civile et canonicum, recenset. Ipsarum aliquas, cæteris dimissis, sequens paragraphus exhibebit.

§. XI.

QUINQUAGINTA DIFFERENTIÆ, SEU CONTRARIETATES SPECIALES INTER UTRUMQUE JUS, BREVITER REFERUNTUR.

193. *Differentiæ, seu contrarietates speciales, inter utrumque jus generatim ad quinque capita reducuntur.* — Differentiæ, seu contrarietates speciales inter jus utrumque repetæ, generatim ad quinque capita reducuntur. Vel enim concernunt materiam conscientiæ, et ubi periculum imminet peccati: vel res ecclesiasticas, et spirituales: vel processum judicium: vel res, seu materias profanas: vel penas delinquentibus debitas. Et quidem, quantum ad primum capitulum, prima inter utrumque jus differentia est: quia

194. *Referuntur aliquæ, quæ concernunt materiam conscientiæ et periculum peccati.* — I. De jure civili, possessor malæ fidei res sic possessas præscribit tempore longissimo, l. *Sicut*, et l. *Omnes*, et l. *Cum notissimi*, C. de *Præscript. 30 vel 40 ann.* Secus est de jure canonico, cap. ult. de *Præscript.*, ubi leges civiles allegatæ, velut nutritivæ peccati, expresse revocantur.

II. Pactum factum patri a filia, dum nuptui tradebatur, quod contenta esse cum dote, ac nullum ad bona paterna velit habere regressum, non valet de jure civili, quamvis sit juratum, l. *Pactum dotale*, C. de *Collationibus*, juncta l. ult. C. de *Pactis*, ubi pacta de succedendo vel non succedendo, velut contra bonos mores inita, repelluntur. Secus dicendum de jure canonico, c. *Quamvis, de Pactis*, in 6. Eo quod observatio talis juramenti non vergat in æternæ salutis dispendium, neque redundet in alterius detrimentum.

III. Secundum canones, juramentum in pupillo doli capace servandum est, ac proinde valet; arg. can. *Parvuli*, 22, q. 5, juncto cap. 1, de *Delictis puerorum*. Secus videtur esse de jure civili, arg. l. *Sacramenta puberum*, C. *Si adversus venditionem* etc. et l. *Qui jurasse*, ff. de *Jurjurando*.

IV. De jure canonico non licet jurare per creaturas, can. *Considerate*, et can. *Si quis*